Fragmentarium

Nunc ergo tatannai dux regionis · que est trans flumen ·
starbazannai & consiliarii uestri · appharsachei · qui estis
trans flumen · procul recedite ab illis & dimittite · fieri
templum dei · illud a duce iudeorum · & senioribus eorum · domum dei
illam edificent · in loco suo · , Sed & a me preceptum est quod
oporteat fieri a presbiteris iudaeorum · illis ut edificetur domus
domini · scilicet ut de arca regis · id est de tributis que dantur
de regione · trans flumen studiose sumptus detur uiris illis
ne impediatur opus · , Quod si necesse fuerit · et uitulus
& agnus & hedos in holocaustum domino caeli frumentum sal · uinum ·
& oleum · secundum ritum sacerdotum · qui sunt in hierusalem ·
detur eis per dies singulos · , Nec sit in aliquo querimonia ·
& offerant oblationes · deo caeli · orent que pro uita regis & filiorum
eius · , A me ergo positum est decretum ut omnis qui hanc
mutauerit iussionem tollatur lignum de domo ipsius · & erigatur
& configatur in eo · domus autem eius publicetur · , Deus autem qui ha
bitare fecit nomen suum ibi · dissipet · omnia regna & populum qui ex
tendant manum suam ut repugnet & dissipet · domum dei illam
que est in hierusalem · , Ego darius statui decretum · quod studiose
impleri uolo · , Igitur tatannai · dux regionis trans flumen
& starbuzannei & consiliarii eius secundum quod praeceperat darius rex ·
sic diligenter executi sunt · , Seniores autem iudeorum · aedificabant
& prosperabantur iuxta prophetiam · aggei prophetae & zachariae ·
filii addo · Et aedificauerunt & construxerunt · iubente deo israhel
& iubente cyro & dario & artaxersi regibus persarum · ,

License: cc-by-nc – Wien, Österreichische Nationalbibliothek, , 1.Esr 6,6-6,14 – Biblia
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-knqo/3865/41138)